



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Quod religiosi, maximè verò qui se totos à mundo sequestrauerunt,  
nunquam non à bonis honorati fuerint. Cap. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Quod religiosi, maxime vero, qui se totos à mundo sequestrauerunt, nunquam non à bonis honorati fuerint.*

## Caput XVI.

**H**ac oratione iamamque recensita, cum tales homines Deo se solum consecrent, ideoque à mundanis externisque causis, etiam ijs quæ contra Deum non sunt, remouent, vt quietius tranquilliusque vni, id est, Deo adherere possint, semper idcirco in maioribus habitis sunt honoribus, quâdo etiam Christus tali vitæ contemplatiuæ præconium testimoniumque perhibuit in persona sanctæ Mariæ Magdalene (quæ talè vitam elegerat, quum ad pedes eius in quiete & fruitione charitatis verbum illius audiens federet) vbi ipsam non excusauit solum (quum tanquam ociosa haberetur & infirmularetur) verum etiam forori suæ prætulit, hoc est, vitæ, quæ actiua siue in bonis operibus exercitatiua vocatur. Malè igitur religiosi huiusmodi à plerisque non satis intelligentibus ea quæ spiritus sunt, imputatur quod præterquam sibiipsis, nemini vtilis existant: quum satis eos Christus & prisci doctores, vt Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, alijque cõplures multis scriptis defenderint. Canonicum item & ciuile ius multis laudibus priuilegiisque decorauerint. Quapropter etiam dicit diuus Augustinus: Quidam, scilicet inter religiosos (loquitur de ijs qui à mundo separatam vitam viuunt) mandana nimium negocia deseruisse videntur: & hoc putant illi, qui non intelligunt, quam ipsorum animus oratione, vita & exemplo vtilis existat, quorum nobis intueri corpora non conceditur.

Solitarii cõtemplatiui vt semper in honore habiti sint.

Luc. 10.

Vitam solitariam vt Christus ipse, & s. doctores & ius vtrumque commendauerint. August.

*Quod monasteria dirui, vel perire non debeant permitti, & quod boni propter malos quosdam in proposito religioso, malè audire non debeant.*

## Caput XVII.

**E**x his omnibus, sicut dictum est, perspici potest, quam præter æquum fiat, quod nonnulli tales ordines, vel etiam ordines vniuersos extirpare deuastareque moliantur, prohibentque & opprimunt, quum ferè ab orbe condito (sicut sic breuibus probatum est) religiosa instituta semper fuerint eorum, qui magis sedula & deuota vita, siue in statu aliquo ad eiusmodi viuendi rationem constituto & destinato, Deo seruiunt. Quibus sanè consensilis, imò multo absolutior nunc est monasticus status, qui sibi primam Apostolorum discipulorumque vitam (qui Hierosolymis initio fidei talem formam inceptauerunt) ad imitandum & vitam exprimendum proposuit. Propterea etiam status ille ipsiusque sectatores multis in locis à priscis pietati deditis Cesaribus, Regibus & Principibus, quorum multi etiam ipsi tale propositum amplexi sunt, aut liberos suos illi dederunt) honorifice donati sunt, & instituti. Quam institutionem etiam Deus ipse quantopere sibi placeret, ostendit, cum certa loca (sicut in historijs legitur) ad hoc per miracula siue reuelationes destinata monstrauerit, vbi cœnobita in quibus Dei laus caneretur essent extruenda. Præterea quum illos Deus, qui talium ordinum autores & architecti fuerunt, multosque qui in illis vixerunt ingentibus miraculis prodigiisque donauerit decoraueritque hodieque cõsimilia inter illos reperiant.

Act. 1. 4.